

Georg Mejer    Johann Adolph Fabricius


## **Disputationum Physicarum Quinta De Natura**

Rostochii: Myliandrus, 1610

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742735990>**

Druck    Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 gyl.

35 1717





*Disputationum Physicarum*  
Q V I N T A  
DE  
N A T U R A

*Quam*  
Divina adspirante gratia


In Inclÿta Academia Rostochiensis

SUB PRÆSIDIO

M. GEORGII MEIERI  
*Duderstadenſis Saxonis.*

Tuebitur  
JOHANNES ADOLPHUS FABRICIUS  
Slesvicenſis.

*Ad diem 2. Junij horis & loco conſueſis.*



Rostochij Typis Myliandrinis Anno 1610.



Venerando  
Clarissimo  
Doctissimo viro

DN. M. OSVALDO SLEDANO

Ecclesiarum CHRISTI in celeberrima laudatissimaq;  
Rostochiensium urbe Superintendenti vigilan-  
tissimo: ejusq; quæ ad Divæ Mariæ  
colligitur Pastori fi-  
delissimo.

Nec non reliquis

Reverendis, pietate, doctrina & Virtute  
prestantibus,

ECCLESIARVM ROSTOCHIENSIVM  
pastoribus, & ministris, Dominis fautoribus &  
amicis optatissimis:

Ut tam erga Reverendum Dn. Superintendentem totumq; mi-  
nisterium suam gratitudinem testaretur, & observantiam  
declaret: quam eorum favori benevolentia &  
amicitia se commendat,

Hanc *ἡμεῖς τῆς Φύσεως Δείκτικον Φυακλῶν*

officiosè offert

Iohannes Adolphus Fabri-  
cius, J. F. Respondens.

92 25



# DE NATURA.

## Theorema I.

Vocabulum naturæ varijs modis accipitur.

**P**incipiorum corporum naturalium considerationem, rectè sequitur consideratio naturæ, hanc enim illa respiciunt, ut subjectum illud quod eidem inest, qua licet tñ Quod utraq, simul sint: tñ tō tōyō tamen unum altero semper videtur esse prius.

II. Cum autem equivocatio semper sit mater erroris, & rerum intelligentia pendeat ab intelligentia verborum, placet hic homonymiam vocabuli naturæ excutere. Sumitur autem vox natura nonnunquam pro essentia, eodē modo & substantijs & accidentibus competit: Nonnunquam pro tota rerum universitate: Aliquando pro serie sive ordine causarum, cujus significationis respectu, natura quadam universalis, quadam particularis dicitur: Interdum sumitur pro determinata facultate substantia alicujus ad unum contrariorum, & tum equipollet inclinationi, cuius ergo fit, ut non omnia ad unum idemq, sed ad diversissima sæpè propendeant & ferantur. Propriissimè verò natura pro insito quodam motus mutationisvè principio accipitur. Et sola hac postrema vocabuli naturæ acceptio presentis est loci.

1. vocab. naturæ  
sigtō.  
2.  
3.  
4.  
5. propriissimè sicut  
pro insito mutationis  
motu principio.

## Theorema II.

Natura est principium sive causa motus

& quietis, in quo inest primò & per se, & non secundum accidens. Arist. lib. 2. Phys. cap. 1. t. 3.

I. Definitionem hanc nonnulli evertere conantur: 1. Quod non tantum rebus naturalibus, sed & artificialibus competat, horologijs nimirum, quæ aquè in se habent principium motus, ac res naturales. 2. Quod multa contineat superflua. Dicitur enim in definitione natura initio, quod primò inest & per se. Hic phrasîs per se superflua est: Quicquid enim primò inest, etiam per se inest. Deinde, quod non secundum accidens inest, quæ phrasîs similiter superflua est: nam quod per se inest, non inest secundum accidens.

In horologijs tunc est  
primum per se motus  
per se ac primò: per se  
in principio illud la ca  
dicitur a externa nim  
ab artifice.

Est aliquid per se inesse  
& tamen agat per  
accidens.

II. Sed verum non est, definitionem naturæ competere etiam horologijs. Est quidem in ijs principium motus, sed non primò. In ijs autem rebus, in quibus est natura, principium reperitur motus & quietis primò, ut docet definitio, hoc est, habent in & a se principium motus, & quietis, non ab alio quodam externo: motus vero ille qui est in horologijs pendet à causa aliqua externa, ab artifice videlicet. Definitio ergo naturæ ijs minimè competere potest. Deinde nihil est superfluum in definitione: nam initio, primò inesse hic non accipitur, ut in apodicticis, de eo quod subjecto primò inest: sed quod non ab externa quadam vi, verum à se ipso movetur, cum motus hujus principium in semetipso habeat. Deinde ipsum per se, additum fuit propter exterminanda illa, quæ fiunt per accidens: nihil enim impedit, quicquam per se inesse, quod tamen agat per accidens, Sic medico per se inest, sanare agrotum, medicus enim quatenus medicus sanat: Verum quia fieri potest, ut ipse agrotet medicus, per accidens etiam semetipsum sanat.

Theo-

### Theorema III.

Principium verò istud non tantum est  
causa motus in seipso, sed etiam in alio.

Zabarella in libro de natura duplex constituit principium,  
utrumq; tamen naturâ, nimirum immanens, quod effectum in eo-  
dem subjecto, in quo ipsum existit, relinquit, sive quod extra suum  
subjectum non operatur. E. g. motus ignis sursum, principium  
subjectum non operatur. E. g. motus ignis sursum, principium  
immanens est: ipsa enim forma ignis facit ignem sursum fer-  
vi. Alterum est transiens quod effectum non in eo ipso subjecto,  
in quo ipsum inest, sed in alijs relinquit, E. g. Calefactionis prin-  
cipium est transiens, quia in aliud subjectum migrat actio. Di-  
ximus autem, utrumq; principium naturâ esse, quia principium  
istud utrumq; primò inest subjecto, & per se, tam motus sursum,  
quam calefactionis alterius.

principium hoc in  
materia f. v. l.  
in materia v. l.  
transiens.

### Theorema IV.

Natura est principium tam activum,  
quam passivum.

I. Est enim 1. natura tam forma, quam materia: Forma prin-  
cipium activum, materia principium passivum, & ratio nulla  
firma adduci potest, ob quam alterutra excludatur. 2. Natura  
facit, ut res non tantum moveat, sed & moveatur: movens enim  
non potest esse sine moto, nec hoc sine illo, ideoq; natura si erit causa  
unius, erit quoq; causa alterius. 3. Quod res agant patianturvè,  
causa extra materiam nulla est: non enim arte aut lege aliquâ  
id ipsum habent: actio autem est à forma: passio à materia. Hinc  
Philosophus naturam duplicem facit, unam materiam, alteram  
formam, ἢ φύσις διττή inquit, ἢ μὴ ὡς ὕλη, ἢ δ' ὡς μορφή  
lib. 2. Phys. c. 8. t. 81.

A 3

Formam

II. Formam tamen magis esse naturam, quam materiam scri-  
tuimus. Forma enim, quia cuiusque rei peculiaris est, peculiarem  
quoque parit motum: Materia vero quia communis est, potentiam  
habet ad utrumque extremorum, suscipit autem peculiarem propen-  
sionem à forma, qua illam communitatem restringit, coarctat & de-  
terminat: ἐκείνον γὰρ τότε λέγεται, ὅταν ἐντελεχεία ἢ μάλλον ἢ ὅταν  
δυνάμει. Arist: lib: 2. phys: c: 1. t: 12.

### Theorema V.

Natura propter certum aliquem finem agit.

I. Naturam si quis putat inconsulto quicquam agere ride-  
bitur ab Aristotele, explodetur à Platone, Galeni iussu etiam  
vapulabit. Scal: exer: 68. sect: 1. Videmus enim 1. omnia que sunt  
in natura habere suum usum & finem. 2. naturam semper  
aut plerumque eodem modo agere Arist: lib: 2. phys: c: 8. t: 77.

voluntas r. subiecti  
delib ratio lib.

II. Qui verò omnia in natura caco & temerario quodam im-  
petu fieri contendunt, his nituntur argumentis. 1. Quia natura  
non agit cum deliberatione: Deliberatio enim tantum habet locum  
in voluntate humana. Omne autem quod propter finem agit, cum  
deliberatione agit. 2. Quia natura finem non semper assequitur:  
Si ergo propter finem ageret, procul dubio eodem non frustraretur.  
3. Quia monstra nulli fini destinantur, qua tamen in natura  
reperiuntur.

solus homo agit. cum  
deliberatio eius  
nam solus volun-  
tatis subiectus est.

III. Sed primum saltem secundum quid est verum: Nam non  
necessum est, ut omne quod propter finem agit, cum deliberatione  
agat. Agentia enim in duplici sunt differentia: Quaedam cum  
deliberatione agunt: Quaedam sine deliberatione. Cum  
deliberatione solus homo agit, recte enim deliberationis subie-  
ctum statuitur voluntas, cuius cum nullum agens prater ho-  
minem

minem sit particeps, nullum etiam cum deliberatione aget. Sine deliberatione autem agunt reliqua agentia naturalia, quia quia voluntate carent, ad unum oppositorum semper se habent, neque tamen ob id asserendum, quod propter certum aliquem finem non agant. Secundum argumentum eodem laborat vitio, quo primum: Non enim omne quod agit propter finem, statim eundem assequitur. Potest propositio hac infinitis exemplis infringi, nam nec homo qui tamen, quod extra omnem controversiam aleam est positum, propter finem agit, finem semper assequitur. Multi sunt, qui totis viribus incumbunt in id, ut divites fieri velint, & tamen spe sua frustrantur. Sic princeps aliquis sæpe bellum inferi alteri, ut victoriam obtineat, cum sæpe loco victoria cladem reportet, nam multa intervenire possunt, quo minus qui finem, quem intendit, assequatur, neque tamen propterea dicendum, quod non propter finem egerit: Si enim propter finem non egisset, quomodo eodem frustratus dici posset? Nemo à scopo dicitur aberrasse, nisi is qui telum prius ad eum direxerit. Ad tertium respondemus distinguendo inter ipsam naturam intentionem; & id quod eidem accedit. Natura causis omnibus actu existentibus semper quicquam generat, atque ita suum consequitur finem. Quod verò quicquam per accidens natura, errore quodam accedit, id natura ipsi imputandum non est, quia propter naturam factum, quod verò hoc modo fit, cum ijs quæ natura, & secundum naturam fiunt, confundi neutiquam oportet. Atque hac causa est, quare Philosophus etiam casus meminere in Physicis, non quod natura in productione huiusmodi monstrorum temerè agat, sed quod institutum natura casu impediatur, quemadmodum videmus, non rarò artifices suo, quem affectabant sine frustrari, quos tamen ea de causa temerè egisse neutiquam dicendos. Quando verò dicimus naturam semper propter finem aliquem agere, non oportet nos existimare eam in natura esse necessitatem, qua impediri nullo modo possit, testis enim est communis & quotidiana experientia, multa in natura, quos volebant fines eventusque haud consequi.

ἀλλὰ ἂν ἀποδείξω:  
ὅτι οὐκ ἀγνοεῖ τὰ  
ἡθελῶντα.

2di argt. resolutio

3 argt.

sequi. Ideoq; natura non necessitate simplici, sed ut loquuntur hypothetica procedit, è quibus illa dicitur, quæ uno eodemq; modo semper simpliciter & absolutè agit citra quodvis impedimentum: hæc ex ijs quæ consequuntur, priora necessariò antegressa esse concludit.

### Theorema VI.

#### Natura non intendit corruptionem.

I. Quia 1. natura semper intendit id, quod est optimum: Agit enim propter finem, ut in theor. precedenti probatum fuit. Omnis finis autem habet rationem boni. Τὸ τέλος ἀγαθὸν ἐστὶν καὶ τὸ κατὰ φύσιν καὶ τὸ κατὰ τέχνην: Finis est bonum aliquod cujus causa aliquid aut materia aut arte fit. Arist. lib. 2. post. analyt. c. 11. 2. omnia quæ sunt in natura, sui conservationem querunt, destructionem vero aversantur & fugiunt, & natura cujuslibet rei abhorret à sui interitu.

obi: II. Quod autem obijcitur, corruptionem fieri in natura, & non nisi à causis naturalibus dependere, ad illud respondemus in initio, multa in natura fieri per accidens. Agit quidem natura per se propter certum aliquem finem, sed non rarò accidit, ut impedita finem propter quem agit, non consequatur, quemadmodum in precedenti theor. ostensum fuit. Deinde distinguendum hic est inter naturam universalem & particularem. Illa semper fugit & aversatur corruptionem, rerum vero conservationem appetit: hæc vero, ad corruptionem pleno fertur impetu, propter generationem, quæ citra corruptionem præviã fieri non potest, cum unius generatio alterius sit corruptio.

obi: alia  
bonum  
duplex  
III. At inquis: Si natura particularis propter corruptionem agit, propter malum aget, quia corruptio mala: Et si propter malum: non propter finem, quia finis bonus. Sed attende: Bonum aliud dicitur ἀπλῶς & simpliciter bonum: aliud secundum quid. Corru-

Corruptio quidem non est ἀποδῶς bona, sed secundum quid,  
quatenus videlicet conducit ad rerum generationē absolvendam.

### Theorema VII.

#### Cœlo competit natura.

I. Videmus enim 1. in cœlo motum: motus autem extra natu-  
ram nullus, & quicquid movetur, in se habet naturam, cuius be-  
neficio movetur. 2. In cœlo reperitur materia & forma, est enim  
ex hisce ceu partibus suis essentialibus conflatum. Materia autem  
& forma nihil aliud sunt quam natura. 3. Cœlum refertur ad sub-  
jectum Physices. Omnia autem qua rationem habent subjecti in  
Physicis, in se naturam habent: Quale enim esset corpus natu-  
rale, si non in se haberet naturam.

quicquid movetur in  
naturam habet au-  
tem beneficio movetur

II. Nec obstat quod in cœlo non sit quies: Licet enim actu  
non quiescat: habet tamen aptitudinem sive potentiam ad quie-  
tem. Ideoq; corpus in se habet principium quietis vel ἐνεργεία  
vel δυνάμει. Cœlum δυνάμει: reliqua verò corpora sublunaria  
ἐνεργεία.

In cœlo motus quod  
est sed non quies  
est tamen aptitudinem  
quietis habet.

### Theorema VIII.

#### Terræ competit natura.

Iisdem probatur rationibus terra competere naturam qui-  
bus probatum fuit, in cœlo eandem reperiri. Nam 1. movetur ter-  
ra, si non secundum totum, secundum partes tamen. 2. Ter-  
ra tota licet actu non moveatur: habet tamen δυνάμει se-  
cundum quam moveri possit. 3. Est terra ex materia & forma  
composita, & cum ceteris corporibus naturalibus ad subjectum  
Physices refertur.

terra δυνάμει  
quandā habet δυνάμει  
quam possit moveri.

### Theorema IX.

#### Deo & Angelis non competit natura.

B

Sunt

negata materia &  
forma, negatur  
natura.

considerate deus in  
physica, quatenus r.  
primum est omnium  
rerum in natura.

I. Sunt enim 1. extra naturam: DEus quidem ante natu-  
ram: Angeli verò licet cum natura creati sint: eidem tamen sub-  
jecti non sunt. 2. Non sunt compositi ex materia & forma: Sunt  
enim substantia incorporea, DEus quidem per independentiam;  
Angeli vero per dependentiam. Ubi autem nulla est materia, nulla  
forma, ibi natura locum non habet.

II. Sed naturam DEo etiam competere inde probari posse vide-  
tur, quod ex natura DEus cognosci possit: Angelis vero, quod orbes  
caelestes moveant, in quibus natura est.

III. Verum non video qua ratione sequatur, DEum natura  
esse subjectum, propterea quod ex natura cognosci possit. Habet na-  
tura sese ad DEum, tanquam effectum ad causam suam. Iam  
autem non statim sequitur causam ejusdem esse conditionis cum  
effectu, licet ex effectu de causa aliquomodo judicari possit. At in-  
quis: Causa & effectum ad eandem tamen pertinent disciplinam.  
Quid inde? Agitur de DEo & natura in Physicis, Ergone natura  
in DEo? qua est ratio consequentiae? si in DEo etiam esset natura,  
causa esset effectum, & DEus suiipsius esset causa, quod est absur-  
dum, semper itaq; distinguendum inter causam & effectum, nec  
hoc cum illa confundendum, etiamsi de utroq; in eadem agatur  
disciplina. Præterea illa cognitio DEI qua ex physica hauritur  
admodum exigua est, Non enim nisi eatenus DEus ex natura co-  
gnoscitur, quatenus est prima causa omnium rerum in natura.  
Deinde falsum est, angelos movere orbes caelestes, ut suo loco à nobis  
sufficienter probabitur. Quia enim sacra scriptura officium ange-  
lorum longè aliter describit, nos meritò à Philosopho qui intelligen-  
tias orbium motrices introduxit, hac in parte divortium facimus.

### Theorema X.

Natura præstantior est arte.

Ars enim si in se consideratur est accidens; natura verò sub-  
stantia.

stantia. Nullū autem accidens præstantius est substantia. Deinde est ars saltem ancilla sive famula natura, nisi enim naturam imitetur, nil efficere potest. Quod autem ars multò certius & expeditius agere dicatur, quam natura, facit hoc non per se sola, sed natura juncta. Ars enim, ut dictum sine natura nihil agere potest, cum eam semper præsupponat. Et nulla ars producere potest corpus naturale, sed corpori naturali à natura jam producto per varias mutationes accidentalem formam inducit.

### Theorema XI.

Differunt naturā, & secundum naturā esse.

Utriusq; differentia evidens est, respicitq; naturā esse id quod secundum naturam dicitur, ut principium id, quod ex principio existit. Quod enim secundum naturam est, eius quidem principia naturā sunt, ipsum vero actu, non naturā. Sic capacitas disciplinarum & potentia consequendi eruditionem homini naturā inest, ideoq; etiam reperitur in rusticis: ipse habitus vero eruditionis homini secundum naturam inest, usu enim & exercitatione quilibet eum sibi acquirere valet. Naturā igitur illa dicuntur inesse, quæ suæ inherentiæ causam aliam non habent quam ipsam naturam primò, id est essentiam sive formam rei ipsam. Secundum vero naturā dicuntur illa quæ suæ inherentiæ in eo subjecto cui insunt, causas præcedentes habent, ideoq; non primò, quatenus ipsa, sed per alia inesse dicuntur.

### Theorema XII.

Differunt item præter naturam & contra naturam.

Non inficiamur Philosophos nonnunquam indifferentè his vocibus uti, præter naturam & contra naturam. Verùm differunt

substantia acci:  
ante r. nobilior:  
qa illa hinc, non  
hoc illi inriti.

Ar si p supponit  
naturā: sed cog  
sint ea ars nihil  
agere potest.

non secundum  
naturam ex per  
inest natura.

na corpori inest  
probris

*pro natura gra?*

*7. contra naturam?*

runt inter se. *Præter naturam* dicitur, quod aliquando ab ordine natura discedit & declinat, ipsum tamen naturam non simpliciter destruit aut tollit. *Sic morbus est præter naturam*, quia est discessio sive declinatio à temperie naturali, ideoq; non statim naturam tollit & destruit. *Sic etiam monstra & cætera natura errata præter naturam esse dicuntur*, utpote quorum materia in natura quidem est, ipse vero actus non naturalis. *Contra naturam* vero dicitur, quod & materia & forma naturalis adversatur. *Sic contra naturam gravia sursum, & levia deorsum feruntur*. Similiter *contra naturam est*, quando ignis non urit, aqua non humectat.

### COROLLARIA.

I.

*An mysterium Trinitatis ex natura cognosci possit? N.*

II.

*An DEUS natura sit alligatus? N.*

III.

*An DEUS & natura sibi invicem contrariantur? N.*

IV.

*An anima competat natura? D.*


V.


*An ars verè possit rē naturalē efficere? N.*


VI.

*An natura per accidens monstra producat? A.*









306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis & a natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia sunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.


### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se in corpore, sed semper extra corpus existit.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione esset bonus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document